



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

10. Chariton solutionem siue ex contractu siue ex delicto iustè differens non tenetur Creditori ad damnum interea eueniens, aut lucrum cessans.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

docet Dian. P. 10. Tr. 12. R. 42. Non etiam peccavit alio modo, quàm fuerat impositum, pœnitentiam implendo; quia modus talis censetur circumstantia levis, ut post Sanchez, Lugo, & alios docet Dicastillo de Pœnit. D. 14. n. 81. quippe in hoc vel illo loco, aut situ dicere rosarium, æquale, aut ferè æquale est Beatissimæ Virginis obsequium, modò res ritè peragatur. Atque ex his patet ad rationem in contrarium.

X. Chariton legitimè excusatur à debiti solutione; interea autem temporis ob omissam solutionem creditori damnum evenit, & lucrum cessat. *Quæritur. Vtrum postea Chariton debitumolvere potens, etiam damnum obueniens & lucrum cessans resarcire teneatur, uti petit creditor?*

Videtur teneri. Ita Molin. D. 754. n. 3. Laym. Tr. 2. de Iust. c. 12. n. 2. & alij. Tum quia aliter creditor non præsumitur dilationi consentire. Tum quia differens solutionem in suum commodum tacito contractu se obligat, iacturam creditoris resarcire,

Resp. Non teneri, siue Chariton debitor sit ex contractu, siue ex delicto. Ita P. Navarr. L. 4. de restit. c. 4. n. 46. & ferè Less. de Iust. c. 16. n. 33. Ratio est, tum quia Chariton nec est ob moram solutionis causa iniusta illius damni & lucri cessantis: nec ista proveniunt ex culpabili solutionis omissione, sed proveniunt ex retentione solutionis iustâ, non
vtique

utique proventura, si restitutio fieret; damna autem ex tali iustâ retentione orta non possunt imputari Charitoni hoc ipso, quod iste non sit causa moralis iniusta, quod necessariò ad talem imputationem requiritur. Consentiant huic assertioni quoad priorem partem de debitore *ex contractu* Rebellus, Salas, Bonacina, & alij, quos affert & sequitur Card. de Lugo *de iust. D. 18. n. 35*; dissentiunt autem ab eadem quoad alteram partem de debitore *ex delicto*; sed immeritò, quia iusta causa radicitus moram purgat. Ut rectè Navarrus cit. & fere Lessius *c. 16. n. 33. in fine*, ubi ait, debitorem ex delicto non teneri de damno emergente vel lucro cessante pro eo tempore, quo non poterat restituere, nisi coniiciendo se in gravem necessitatem. Unde negamus rationem in contrariù allatam, cum nullo nitatur fundamento.

XI. *Carpus audit in Concione, creditque, esse peccatum mortale, vesci carnibus in pervigilio SS. Philippi & Iacobi, eò, quod sit ieiunium, & tamen ab ijs se non abstinet, conscientiam illam absque aliâ ratione abijciens. Queritur. Vtrum comedendo carnes peccet mortaliter?*

Videtur non peccare mortaliter. Ita Caietan. *in 1. 2. q. 19. art. 5.* quia conscientia errans non habet ex se vim obligandi, nisi quatenus acceptatur. Ergo quodocunque non acceptatur, non obligat.